



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput II. Quod veritas intus loquitur sine strepitu verborum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

tuo te redde placitam, ac fidelem
ut veram valeas apprehendere beati-
tudinem.

CAPUT II.

*Quod veritas intus loquitur sine
strepitu verborum.*

I. **L**oquere Domine, quia audit
servus tuus. Servus tuus sum
ego, da mihi intellectum, ut sciam
simonia tua. Inclina cor meum
verba oris tui, & fluat ut ros eloqui-
um tuum:

Dicebant olim filii Israel ad Moy-
sen: Loquere tu nobis, & audiemus
non loquatur nobis Dominus, ne for-
moriatur.

Non sic Domine, non sic sed ma-
gis cum Samuele Propheta humiliter
ac desideranter obsecro: Loquere
Domine, quia audit servus tuus.

Non loquatur mihi Moyses aut al-
quis ex Prophetis: sed tu potius lo-
quere Domine Deus inspirator, &
illuminator omnium Prophetarum
qui

quia tu solus sine eis potes me perfecte imbuere; illi autem sine te nihil proficient.

2. Possunt quidem verba sonare sed spiritum non conferunt.

Pulchriter dicunt, sed te tacente cor non accendunt.

Literas tradunt, sed tu sensum aperis. Mysteria proferunt, sed tu referas intellectum signatorum.

Mandata edicunt, sed tu iuvas ad perficiendum.

Viam ostendunt, sed tu confortas ad ambulandum.

Illi foris tantum agunt, sed tu corda instruis, & illuminas.

Illi exterius rigant, sed tu fecunditatem donas.

Illi clamant verbis, sed tu intelligentiam auditui tribuis.

3. Non ergo mihi loquatur Moyses, sed tu Domine Deus meus, æterna veritas; ne forte moriar, & sine fructu efficiar, si fuero tantum foris admonitus, & intus non accensus.

Ne fit mihi ad iudicium verbum
auditum, non factum: cognitum,
& non amatum: creditum, & non
servatum.

*Loquere igitur Domine, quia audit
servus tuus: verba enim vitæ æter-
næ habes.*

Loquere mihi ad qualemcunque
animæ meæ consolationem, & ad
totius vitæ meæ emendationem, ti-
bi autem ad laudem & perpetuum
honorem.

CAPUT III.

*Quod verba Dei cum humilitate sunt
audienda: Et quod multi ea
non ponderant.*

I. **A**udi Fili verba mea, verba
suavissima, omnium Philoso-
phorum, & Sapientium hujus mun-
di scientiam excedentia.

*Verba mea spiritus, Et vita sunt,
nec humano sensu pensanda.*

Non sunt ad vanam complacentiam
trahenda, sed in silentio audienda,
& cum omni humilitate, atque ma-
gno affectu suscipienda.